

/ Admodum Reverende Pater. Ex literis R.T. datis Calendis novembris recognovi zelum R.T. mihi satis notum à longo tempore; sed sciat R.T. mihi multo antea venisse in mentem, illos omnes abusos, imo plane cernere eos, et videre, et pro iis gemere ad Dominum in orationibus meis; sed remedium adhibere difficile est, nisi Deus ipse potentissima, et efficacissima gratia sua adesse dignetur. Videtur charitas pene ubique refrixisse, et cupiditas abundare coepisse. Ego multa suggessi Pontifici proxime defuncto, et verbo, et scriptis; huic etiam Pontifici initio adeptae dignitatis multa re-
10 vocavi in memoriam, quae ad reformationem pertinent; neque desisto data occasione suggerere quae utilia esse iudico. Pergat R.T. precibus apud Deum et labore apud homines promovere bonum ecclesiae, et gloriam Dei; nam sive respondeat effectus bonae voluntati, sive non respondeat, certe non fraudabit Deus corona iustitiae operarium suum fidelem, et diligentem. Et quoniam iam senuimus, et vocatio nostra non potest longe abesse, oremus pro invicem, ut salvemur, et in patria coelesti simul inveniri et perpetuè vivere valeamus. Romae die 8 martii 1608.

R.V.

20

Servus in Christo

Robertus Card. Bellarminus.

Arch.Vatic. Mss. Gesuit. 18 fol. 100. Brouillon autogr. Epist. fam.